



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Dominica quarta

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

quam eamus cubitum, flexis genibus  
examen nocturnum instituamus, con-  
scientiam discutiamus, & an per diem  
plus corpori, quàm animæ datum, con-  
sideratè inspiciamus. Subjungatur Psal-  
mus *miserere* expansis brachiis. Fili!  
vis praxin aliam? quoties inciderimus  
in peccatum (ô si contingeret nun-  
quam!) statim intra nos recolligamur,  
in terram procidamus, & cum filio pro-  
digo ad cœlum clamemus: *Pater! pec-  
cavi! ne intres cum servo in iudicium  
tuum.* Dein datâ, & oblatâ occasione  
promittamus confiteri. Latet vipera,  
ubi peccatum: Quis diu intus toleret?

Dominica IV. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

**A**D æterna! ad immortalia! fili mi!  
invitamur, dum monet Christus:  
*Duc in altum.* Tandem valedicendum  
sæculo, pravis desideriis, & cupiditati-  
bus, si cupiamus soli adhærere Christo  
Domino! contemnenda hæc sunt tran-  
sitoria, si ambiamus coelestia. O igitur  
nobile donum! contemptum sæculi!

*Instructio meritoria.*

In hoc strenuè nostram exerceamus animam. Quod fiet, si vel hodie ad discursus vanos, inutiles, aut minùs Christianos clausurimus aures, aut in honestiores, & exemplariores mutaverimus, aut nos penitùs subtraxerimus. Venenum quis hauriet? interim pro impetranda erga vanitates solida nausea  
34. *Pater & Ave* in honorem totius ætatis & plenitudinis Christi recitemus. Qui cum Christo, mortuus est sæculo.

## II.

**L**aborant Apostoli per totam noctem, & capiunt nihil. Non mirum: In tenebris navigabant. Quæ nox ista? ô fili! nostra peccata! laboremus, quantum possumus, quantum & volumus. Nisi peccata fugerimus graviora, frustra sunt omnia, frustra jejunia, frustra vigiliæ, & elemosynæ! ô stultum laborem! & quoties sic laboravimus?

*Instructio meritoria.*

Si unquam, vel hodie deploremus ruinam honorum operum, quam incurrimus quolibet mortali peccatô; sed ut  
recu-

recuperemus denuò, graduales Psalmos pro opportunitate temporis recitemus coram Crucifixo, aut SS. Venerabili. Quid si & actum jungeret Sacri rigoris? qui castigat corpus, amicus est Dei. Corpori flagella! animæ beata gaudia.

III.

**I**N verbo tuo laxabo rete, ait Petrus ad Jesum. Laxavit: Et ô prodigium! conclusit ingentem piscium multitudinem! ô lucrum obedientiæ, ac confidentiæ Christianæ! profectò plus mi fili! lucrabimur uno actu humilitatis, & simplicis obedientiæ, quàm si per integros menses, & annos in poenitentiis, in humiliationibus, & corporis castigationibus nos exerceremus ex propria voluntate. Quid punit in inferno Deus nisi voluntatem propriam? quid gaudet, & exultat in coelo, nisi cæca, & humilis obedientia?

*Instructio meritoria.*

Sed hîc labor, hîc opus est! quis eò pertinet? en! medium! nunquam exeamus imposterum S. Confessionale, nisi petitò, & obtentò speciali actu Obe-

E 3                      dien-

dientia, quem & nobis ipsis determine-  
mus, ut benedicat Pater spiritualis.  
Oremus & Feriali VI. ad pulsum Agoniae  
Domini quam devotissime, nostramque  
infirmam voluntatem commendemus  
in vulnera morituri Jesu. Moritur ille,  
ut vivamus obedientia.

### Dominica V. post Pentecosten.

#### EXHORTATIUNCULA I.

**V**irtutem Pharisaicam hodiernum  
detestatur evangelium; genui-  
nam vero, & vere Christianam, quae ha-  
betur per humilitatem, & simplicitatem  
cordis intimam, commendat plurimum.  
Si Christiani sumus, boni sumus in opere.  
Fili! nolimus solum videri; judicia ho-  
minum fallunt; non vero opera virtu-  
tum. Judicet nos Deus! quid homines  
ad nos?

#### *Instructio meritoria.*

Procul cum hypocrisi, & pietate ad  
speciem! ut possideamus virtutem soli-  
dam, Spiritum Sanctum cum septem  
donis hodie invocemus, & minus Offi-  
cium de Eo recitemus. Et ut ambule-  
mus